15. 573. 1

Nos CHRISTINA DEI Gratia, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque designata Regina et Princeps Hæreditaria, Magna Princeps Finlandiæ, Dux Esthoniæ et Careliæ Ingriæque Domina etc. Constare volumus Universis et Singulis hasce lecturis; Quod cum præsentium Exhibitor, Nobilis et Generosus nobis sincerè fidelis Georgius Flemming, hæreditarius in Nornää's, majoris experientiæ consequendæ causa laudabili peregrinas nationes et dissita magis loca visendi desiderio feratur, iterque in exteras oras ac Nationes suscepturus sit; Idcircò quò tutiùs id ingredi, absolvere ac propositum suum ad optatum exitum commodiùs perducere possit, hôc Nostro Salvo conductu Eum clementer muniendum censuimus; Proinde ab omnibus terrarum mariumque potestatibus cujuscunque præeminentiæ ac conditionis fuerint, nec non bellorum Ducibus, Thalassiarchis, Officialibus Portuumque Præfectis, quà ipsum transire ac morari contigerit, respectivè amicè, benignè ac gratiosè requirimus ut dictum Georgium Flemming cum ijs quæ ad Eum spectant, personis, rebus ac sarcinis non modò sinè impedimento et liberè ire, commorari ac deniquè redire permittant, sed omnia præterea humanitatis officia ipsi exhibere dignentur. Nos vicissim quidquid erit officij quod in Eum collatum fuerit, pari vel alio casu ergà unumquemque, servata cuju[illegible]is Status ratione, agnoscemus. In quorum fidem præs[illegible] manu Nostra suscriptas Sigillo nostro Regio firmari [illegible] Dabantur in Regia Nostra Stockholmensi [illegible] Anno 1648.

Chri